



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Syntaxis Joa[n]nis Despauterij Niniuit[a]e Berga[rum] diui  
Guinnoci ludimagistri**

**Spauter, Johannes de**

**Argentorati, Anno, M. D. XV.**

Epistola com[m]endatiua operis Iodoci Ghisij Iodocus Ghisius Philomusus  
Ioan[n]i Despauterio Niniuitate politioris literaturę columini. S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70853)

## Epistola cōmendatiua operis Iodoci Ghisij

Iodocus Ghisius Philomusus Ioāni Despauterio Ninis  
uitæ politioris literaturę columini. S. D.

**S**T si hisce diebus præceptor optime de syntaxi tua uel nos  
strum iudiciolū (quæ tua est modestia) disquisiisti nolui  
tamen ex templo sententiã ferre, quid enim sus mineruam  
aut quid graculo cum fidibus. Sed maiorū ac prudentio-  
rum confirmatus censuris in eandem uel pedibus irę sententiã non  
abnuī. Quis etenim eat inficias. Mimum Roscio, athletamq; herculi  
nunc demū placuisse: Nihil enim in ea quod non diligenter excer-  
ptum, luculēter digestum cothurno uestitum. Nihil quod non gra-  
uitatem iudicij præ se ferat. Nihil deniq; quod trāuersum unguem  
offenderit, nullaq; in ea seueros iunctura ungues effuderit. Quapro-  
pter laudandus summopere est iste uigilātissimus animus tuus. qui  
pro posteris tantū laboris susceperis Stoico nimirum dogmate ad-  
monitus, quo (ut Cicero recitat) Non nobis solū natī admonemur,  
ortusq; nostri partem patria, partemq; amici sibi uendicant. Ceterū  
cum omnibus qui tua legent fœliciter natus uidearis, tum Bergensi-  
bus istis apud sanctū Guinocum scholasticis qui te audire poterunt  
fœlicissime. Eos siquidē ad politioris literaturę culmina facile proue-  
hes, adamullimq; rudia eorū ingenia leuigabis ac nouis cupedijs  
exquisitisq; obsonijs eorū palatū temperabis & nutries, aures syn-  
cerę mineruę harmonijs demulcebis & erudies. Quocirca quemad-  
modum Philippus ille macedo fœlicitati suæ ascripsit Alexandrū  
ea sibi tempestate natum qua Aristotelicę sapientię idoneus haberi  
possit auditor. Ita merito gaudeat Bergensis ista iuuentus ea setem-  
pestate natam q̄ spirantes latini eloquij odores uires affluent ius præ-  
tendunt quaq; gratissima eloquētię fraga. Iam fere humi utpote in  
aperitissima Syntaxi tua legere impune poterunt. Prodeat itaq; in lu-  
cem tot bonorū uirorū punctis atq; suffragijs fulta. Sin atq; humes  
romastigas genuinū quantumlibet exercere ac somniculosos dro-  
mones te plagij incessere dum neq; hiparia coligere, neq; illi quod  
damnent merito inuenire poterint. hec pro mea in te obseruatiã ad  
calcē adijcienda curauī. Vale dulce literarū præsidij.